

cum expeditis Itatorum turmis: qui collem, qua hosti transeundum, occupavit, tormentisque munivit. Sed & Schwartzenburgus Germanicâ legione machinisque campestribus alias in super fauces obsedit, loci quæ aptis insidias disposuit. Ergo ad ulteriora Sinanes pervenit, validaque manu in dispositos casses ingressus, utrinque expeditioribus locis impeditus fuit, ita ut non sine crudeli iactura ex angustiis se retrahere potuerit. Inde ad alias stationes: quas Walones propugnabant, devenit: qui primò quidem non contemnenda difficultate pressi, dum reliquus superveniret exercitus, & iam utrinque collaris signis universa coirent agmina: postmodum tamē virtute sua hostem superarunt, prostratis 30. millibus, inter quos Osmanes Bassa lauriensis cum sex Begis repertus fuerat: signis militaribus viginti: septem tormentis campestribus: triginta sex & duobus Begis captis: castrisque universis ingenti cum præda in potestatem suam redactis. E christianis vix 30. cæsi periēre. Carolus dum Strigonii deditionem petit, infirmitate compulsus, Comorram secedit, ubi 14. Augusti dysenteria extinguitur in ipso gloriæ limine, annos natus LII. Intestina Comorræ, pompâ Principe dignâ terræ mandata: Cadaveris reliqua in Belgium transmissa sunt. Non minus verò calidè, mortuo Principe Mansfeldensî, ad Strigonium



res geritur: cum primis oppidum inferius seu aquaticum tribus diversis locis oppugnatur. Legioni Bavarica prima impressio sortè obtigerat, quæ, cum cedere capisset, Suevici pedites illis subvenerunt: maximum sepimentum convulserunt: fossas implerunt: omnia impedimenta sustulerunt: Turcarum impetum eo usque sustinuerunt, donec sex signa Burgavica succederent. Ioannes Medices cum Italis suis omnibus locis aderat, fessisque recentes milites substituebat: ipse cominus et minusque pugnans, nunc ducis, nunc gregarij militis munere fungebatur. Hunc ad modum cum arx